

Hinc metus, hinc absit nigræ formidinis horror,
 Pallidus informi nec sit in ore color.
 Spes adsit, firmetque animos dum certa propino
 Pharmaca, queis nostro fit medicina milo:
 Dum testor quæ me ratio, quæ lucidus ille
 Thesaurus veri, pagina sancta docet.
 Ferte, viri, molem quanta est ea cumque laboris:
 Est gravis, at nulli noxius iste labor.
 Est gravis, at multis pariet bona multa, paritque,
 Virtutem adversi quandoquidem exacuunt
 Casus, cos dura ut ferrum, partem licet inde
 Abradat scabri concita vis lapidis.
 Virtuti adversi nil possunt demere casus;
 Externæ sed si forte aliquid maculæ
 Adspersum est, si quid fœdum se immiscuit intro,
 Secernunt, purgantque omnia. Qualis aquæ
 Frigidus ille humor, quem lucidulæ crystallo
 Adsimilem rupes ardua progenuit,
 Cessantem paullum si forte in gramine molli
 Vel pastor baculo, vel pede turbat ovis,
 Decolor it lapsu tacito, dein aspera præceps
 Inter raucisono murmure saxa fugit,
 Scrupulos per & anfractus, & scabra viarum
 Multicavo angustum in pumice transit iter.
 Interea cœni quidquid fuit intus, id omne
 Exuit, atque lacu marmoreo excipitur,
 Distrahiturque avide, plenæ ad convivia mensæ
 Splendeat ut puris lucidus in cyathis.
 Illa etiam fulvi dives natura metalli
 Deponit sordes ignibus in mediis,
 Quidquid & obscœnæ, terræ inter viscera, fæcis
 Hæserat, id rapidis flamma voluminibus,
 Flamma vorax torquet, penitus flamma eximit, atque
 Exemptum in nubes dissipat aerias.